

membra nostra, aut staturam figuramque noscamus; neque nos corpora sumus; neque ego, tibi haec dicens, corpori tuo dico. Quum igitur, nosce te, dicit, hoc dicit, nosce animum tuum. Nam corpus quidem, quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum. Ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te. Hunc igitur nosse, nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cujusdam animi praeceptum, sic, ut tributum deo sit. Sed si, qualis sit animus, ipse animus nesciat; dic, quaeso, ne esse quidem se sciet? ne moveri quidem se? Ex quo illa ratio nata est Platonis, quae a Socrate est in Phaedro explicata, a me autem posita est in sexto libro de re publica. «Quod semper movetur, aeternum est. Quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitur aliunde; quando finem habet motus, vivendi finem habeat, necesse est. Solum igitur, quod se ipsum movet, quia nunquam deseritur a se, nunquam ne moveri quidem desinit; quin etiam ceteris, quae moventur, hic fons, hoc principium est movendi. Principii autem nulla est origo. Nam e principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re alia nasci potest. Nec enim esset principium, quod gigneretur aliunde. Quod si nunquam oritur, ne occidit quidem unquam. Nam principium extinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec a se aliud creabit, si quidem necesse est a principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur. Id autem nec nasci potest, nec mori: vel concidat omne coelum, omnisque terra consistat necesse est, nec vim ullam nanciscatur, qua a primo impulsa moveatur. Quum pateat igitur, aeternum id esse, quod se ipsum moveat, quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne, quod pulsu agitur externo. Quod autem est animal, id motu cietur interiore, et suo. Nam haec est propria natura animi atque vis. Quae si est una ex omnibus, quae se ipsa semper moveat: neque nata certe est, et aeterna est.» Licet